



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

36. De quodam dubio circa eleemosynas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

fitates, vt eis succurrat, aliter non fatiscit præcepto. Superfluum autem magis inuenitur in Ecclesiasticis personis, qui, cum non habeant filias, & filios, non ita indigent, ac sæculares; & cum ipsorum etiam victus, & vestitus maiorem requirat modum, & modestiam.

De quodam dubio circa Eleemosynam.

CAPVT XXXVI.

CVM certum sit, eum, qui est in necessitate extrema, posse accipere ab alio, & rapere, quæ sibi sunt necessaria, dubium est, an huiusmodi homo teneatur ad restitutionem, si ad pinguiorem venerit fortunam. In quo dubio sunt variæ Doctorem sententiæ. Quidam putant eum non teneri, vt Scot. 4. dist. 15. q. 2. & Gabr. ibid. & Sot. 4. lib. de iust. quæst. 7. art. 1. Alij verò tenent eum obligari, vt Nauar. capit. 17. summ. num. 60. & Adrian. in mater. de restit. in peculiari quæstione de hoc. Medina verò C. de pœnit. tract. 5. de Eleemosyna, tenet mediam sententiam. Cum enim accepit de superfluo alterius, non tenetur restituere: cum verò accepit de non superfluo, tenetur. Aduerte autem, quod prædicti Doctores in multis conueniunt; in vno autem est discrepantia. Conueniunt quidem in eo, quod dicit Scot. quod si quis, ante necessitatem extremam, accepit aliquid ab altero, ratione cuius acceptionis tenebatur restituere, & postea incurrat extremam necessitatem, & vtatur illo, quod accepit, non ob id soluitur ab obligatione restitutionis, si ad pinguiorem venerit fortunam. Rursus conueniunt, vt dicit Soto, cum aliquis patitur extremam necessitatem in vno loco, in altero tamen habet, vnde posset succurrere suæ necessitati; tunc quod accipit, tenetur reddere; vt, si mercator aliquis diues comprehendatur in loco, vbi nullus habet pecunias, ita vt inimici velint eum occidere, nisi det centum aureos, tunc iste potest illos accipere ab alio, tamen tenetur reddere, cum in suo est loco.

Rursus tertio conueniunt, quando aliquis verè habet aliquid pecunia appetibile, tamen non sufficiens, nec utile illi ad suam necessitatem; vt, si habens domos, & vineas, indigeat pecunia aliqua extreme, quam inuenire non potest; tunc, si accipiat, & rapiat, tenetur reddere postea. Rursus etiam conue-